CICERO
Frankreich, Ende 12. Jh. Seite 88v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26366
Copyright: Admont, Benediktinerstift



casu. quod est. quod ei magnopere casus obesse possit. In conclusione hoc pacto. Quod si in eos plurimum fortuna potest qui suas rationes omnes in casum intulerunt. non sunt omnia omittenda fortune. ne magnam nimis in nos habeat dominationem. In his tribus generibus ad continuationis uim adeo frequentatio necessaria est. ut infirma facultas oratoris videatur. nisi sententiam. et contrarium. et conclusionem frequentibus offerat uerbis. et alias quoque non numquam non alienum est. tam et si necesse non est. eloqui res aliquas per huiusmodi continuationes. COMPAR GRAVE.

COMPAR appellatur quod habet in se membra orationis de quibus ante diximus. que constent ex pari fere numero syllabarum. hoc de numeratione nostra non fiet. nam id quod est. puerile est. sed tantum afferet usus et exercitatio facultatis. ut animo et quodam sensu. membrum par superiori referre possimus hoc modo. In prelio mortem pater oppetebat. domi filius nuptias comparabat. Hec omnia graues causas administrabant. Item alii fortuna dedit felicitatem. huic industria uirtutem comparauit. In hoc genere sepe fit. ut non plane par numerus sillabarum sit. et tamen esse uideatur. si una aut altera syllaba est. alterum breuius aut sicut in altero plures sunt. in altero longior. aut longiores. Plenior aut pleniores sillabe erunt. ut longitudo aut plenitudo harum multitudinem alterius assequatur. et exequet.

Similiter cadens exornatio Similiter cadens.

Appellatur. cum in ea constructione uerborum duo aut plura sunt uerba que similiter hisdem casibus efferantur hoc modo. Hominem laudas egentem uirtutis. habundantem felicitatis. Item. huic omnis in peccunia spes est. a sapientia est animus. Diligencia comparat diuicias. neglegentia corrumpit animum. et tamen cum ita uiuit neminem per se ducit hominem. Similiter desinens.